STEPHANI MARIÆ
FABBRUCCI FLORENTINI

In Pisana Academia Civilium Legum Professoris Dissertatio Historico-Critica,

Qua certius, quam antea, Pisanæ Universitatis Initium constituitur, & Universæ Historiæ præluditur, quam adornat,

Occasione faustissimi in Pisanam Urbem Adventus Regiæ Celsitudinis

SERENISSIMI

FRANCISCI III.

Ducis Lotharingiæ, Barii &c.

Magni Ducis Etruriæ.
An. 1739.

QUi de Pisanæ Universitatis Origine scripserunt, in diversas plane sententias abiere. *Recentiores quidam*, tantundem a veritate distantes, quantum ab ea tempestate remoti, eam ab Imperatoris Lotharii II. temporibus usque repetunt. Restituto, ut ipsi autumant, *decurrenti duodecimo Sæculo*, per Imperatorem Lotharium Saxonem Jure Civili Romanorum, atque communiter in Tribunalibus observari jusso, Bononiæ per Irnerium, *Pisis quoque*, *precibus Magnæ Mathildæ Thusciæ Comitis*, ut in Historia Juris Civilis Romanorum refert *Gothofredus* (*a*) vel *Irnerii ipsius consilio*, ut in Serie Pandectarum Juris memoriæ prodidit *Peretius*, *idem Jus*, *ab eodem Imperatore Lothario Pisis prælegi jussum* (*b*) quod & alii adnotarunt

(*a*) Jacob. Gothofr. Hist. Jur. Civ. Cap. 9. in fin.

(*b*) Anton. Perez. Tom. 3. in Ser. Titul. & Libr. Pand. aliique scrib. ap. Henric. Brecm. de Fato Pand. cap. 5. & seq. Joseph. Martin. Theat. Bas. Pis. in Paralip. pag. 116.

runt. Opinioni huic, ubi tuto aliquo monimento fulciretur; atque eidem, quod ad *Mathildem* attinet, vel ipsius mors, ante suppositum illud Lotharianum Edictum; immo ante ejusdem Cæsaris electionem, fecuta, ut ex Florentino constat; (*a*) quod vero spectat ad *Irnerium*, vel ipsa naturalis aversio exteri hominis a suasione recentis hujus Scholæ, in aliquod suæ detrimentum, non obstarent, ultro libenterque subscriberemus. Admissa siquidem hac Origine, ac subinde etiam in Humanioribus Litteris, cæterisque libaralibus disciplinis, *Acadrmiæ nostræ Publica Institutione*. conjectura saltem probabili quis assequeretur, quod adhuc incertum est e quonam Publico Gymnasio prodire potuissent, & cujusnam Publici Lycei gloriam etiam nunc augerent, *Hugo*, circa An. 1160. in Phisicali doctrina, Lauro redimitus (*b*) *Pandulphus* Pisanus Cardinalis, in sacra Pagina, doctoratus Laurea pariter insignitus (*c*) *Opitho* ac *Sigerius*

(*a*) In vit. Mathildæ Comitis.

(*b*) Fr. Benincasa apud Papebroch. in vit. S. Rayner.

(*c*) Guil. Eisengr. in Catal. Test. verit. apud Abb. Constant. in vit. Gelas. II.

rius Doctores (*a*) *Burgundius* Theologus, Poeta, Jurisconf. (*b*) ut *Rolandum* quoque *Bandinelium*, aliàs *Paperonium*, ommittam, qui Sacros Canones [*c*] & Pisanum *Bandinium*, qui paulo post *Irnerii* tempora, Codicem Justinianeum interpretatus esse perhibetur, *Legum splendore coruscus*, ut, penes Mabillonium, in ejus Epithaphio legitur. [*d*] At concors, Eruditorum fere omnium, votum est, sententiam hanc, de reserato, *Lotharii* temporibus ad *Mathildæ preces*, vel *Irnerii consilium*, Pisano Athenæo, posse evidentiori, quod adhuc desideratur, testimonio comprobari.

Penes alios, majori quidem probabilitate suffultos, at æque certis Documentis destitutos invaluit aliquanto sanior opinio quod, *Tertiodecimo Sæculo præterfluente*, in Legali, Phisices, Medicinæque Studio Pisana hæc nostra Academia cœperit efflorescere [*e*]

Atque

[*a*] Chronic. Pis. ap. Murat. Tom. *6*.
[*b*] Dacher. Spicil.
[*c*] Id. Ab. Const. in vit. Gel. 11. p. 11*6*.
[*d*] Mus. Ital. p. 109. Panc. de Clar. lib. 2. cap. 1*6*.
[*e*] Branc. de Jur. Doct. l. 1. c. *6*.

Atque hic, ut ab incertis certa separentur, nunquam inficias ire ausim, temporibus hisce, atque etiam multo pridem, Legum studium, aliarumque Scientiarum, *Pisis* excultum; Inde enim, *sæculo nono*, sapientes plures evocaverat *Senior Lotharius*, quorum consilio, in condendis Romæ Feudalibus quibusdam Legibus uteretur, ut Carolus Sigonius memoriæ prodidit; [*a*] & ipsamet ipsius *Constitutio sub Tit.* 19. *lib.* 1. *Feudorum aperte comprobat*.

Quoad recentiora vero tempora, non unico licet amplissimo Testimonio evincere; nam, præter superius laudatos, plurium Sapientum Civium, quibus a Pisanis Proceribus demandata discretio Consuetudinum a Causis & Quæstionibus Legum, mentio fit in Statuto An. 1161. penes me ipsum ac, teste Eruditissimo Brenchmanno, in celebri Bibliotheca Strozziana existenti [*b*]. Et e veteribus monimentis apud Clariss. Marten. & Durand. [*c*] quos, circa annum & nomina, certioribus utique documentis, supplet

Re-

(*a*) Lib. 4. de Regno Ital. An. 825. Cap. si Quis. lib. 1. Feud. Tit. 19.

(*b*) Hist. Pand. 57.

(*c*) Tom. 1. Amplis. Collect. 470.

Rever. Abb. Exgen Guido Grandius [a] sub An. 1213. constat *Robertum* Massiliensem Monachum S. Victoris ita Abbati suo *Bonfilio* supplicasse: *Nunc autem, quia per totam fere Italiam Scholares, & maxime Provinciales, nec non ipsius Ordinis, de quo sum, quia plures Legibus catervatim studium adhibentes incessanter conspicio ... Si vestræ igitur, Summe Pater, dignitati placeat, ut in hoc opere studium, pro posse meo, exerceam, quæso, & suppliciter obsecro quatenus super hoc negotio charitativam mihi licentiam impendatis, & Pisano Priori vestris litteris, ut mihi subveniat, mandare disponatis; si etenim, quod expecto, apud vestram misericordiam impetravero, Pisas, ad exercendum ibi Studium, si Deus concesserit, adiero, &c.*

Ibi quoque suas sibi scientias comparasse, & prout eorum temporum consuetudo ferebat, Doctorum Laurea decoratos, verisimile admodum est inter cæteros, *Ugonem Bencium*, *Bonajunctam Ucellium*, *Raynerium Albichellium* [b] *Bacciomeum Armatum*, qui

(a) In 2. Edit. Flor. Epist. Pand. n. 9. & n. 11.

(b) Guid. de Corbar. ap. erudit. Murat. Script. Ital. tom. 24.

qui Henrico VII. obviam ivit, ut ex Pis. MSS. accepimus; *Mensem de Vico*, *Gerardum de Fagiano*, qui præcipua Pisanæ Civitatis munia obibant [*a*] Legum quoque Doctrina præcellentem *Thomam de Tripallo*, quem vulgo *Masum* appellant, qui super Antiquis Pisanis Constitutis Commentaria exaravit, quæ pariter & ipse in mea Bibliotheca asservo [*b*], *Bartolomæum* quoque de *Capella S. Euphrasiæ*, *M. Falconem*, *M. Bonajutum &c.* qui Medicinæ laude floruerunt. [*c*]

At hæc, & si quæ similia afferantur, Studia Legum aliarumque disciplinarum utique *Pisis* exculta; Academiam autem in Publicam formam redactam, Legibus instructam, Privilegiis decoratam; vere erectam fundatamque, ut dici solet, *Universitatem illam*, de qua modo quæstio est, minime probant. Minime certe omnium exemplum, de quo superius, Massiliensis illius Monachi de S. Victore; si etenim spectaret ejus

(*a*) Annal. MS. Monum. Ital.& Lat. conscr. d. t. 24. p. 73. 76. 80. 667. Paul. Tronc. Mem. Hist. Pis. Civ. p. 215.

(*b*) Ab. Virgin. Valsech. Ep. de Pis. Const. p. 25.

(*c*) Catal. Prior. Arch. Pis. Comm.

ejus Epistola ad An. 1065. vel quatuordecim subsequentes, ut a prælaudatis Clariss. Editoribus existimatum fuit; non aliunde, nec quidem probabili conjectura elicitur, tam exaggeratus ad Publicas J. C. Cathedras Religiosorum affluxus; deerant enim adhuc Irnerii, qui in Italia, Vacarii, qui in Anglia, Placentini, qui in Gallia, Jus Civile Romanorum profiterentur ut Duck lib. 2. De usu &c. cap. 8. sapienter adnotavit. Si vero, quod est longe verosimilius, ad An. 1213. pertinere credatur, adhuc non levis inde difficultas emergit; nam, cum in pleno adhuc vigore foret dispositio 8. Canonis Concilii Turonensis, *sub Alex. III. An.* 1163. celebrati, [*a*] de quo est etiam Text. *in Cap. Non magnopere* 3. ne *Clerici* vel *Monachi &c.* Quæ sane Constitutio Monachos *extra Claustrum* a Studio *Legum ac Physices* arcebat, & quidem sub gravissima pæna Excommunicationis, improbabile est assertum Monachum metuendæ huic Censuræ in Publicam Gymnasii lucem

(*a*) Labb. Tom. 3. Ad An. 1163. Franc. Long. de Concil. Gener. non Oecum. in Cap. majoribus 8. de Præbendis, & Dignit.

prodeundo, se se subiicere voluisse; immo ad hujusmodi inobservantiam Superioris sui licentiam impetrare ausum fuisse. Quamobrem, si quid tuto opinari licet, id unum est, Prælato suo supplices preces porrexisse, ut sibi facultas daretur *privatim* eximii unius, vel alterius Legum Interpretis audiendi, in ea Urbe, ubi, Pandectarum Thesauro jam invecto, ipsius Literæ consulendæ foret opportunitas.

Quibns frustra quis ex multiplici capite, obiiceret, intermedio quinquaginta tantum annorum spatio, inter superioris Concilii promulgationem, supplicationemque illius Monachi, prælaudatam Sanctionem in desuetudinem abire potuisse, cum constet, etiam non multo post eadem tempora, non abrogatam & intermotuam excitasse; at declarando, eam extendisse *S. P. Honorium*, hujusce nominis, pariter III. in *Cap. sup. Specula* ult. *E. T. Ne Clerici*, vel *Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*; Ut nihil de longe posteriori Innocentii IV. Constitutione dicam, qui ad reprimendum in Ecclesiasticis personis Legum studium, Theologicasque scientias excitandas, ne in Anglia, Gallia, Scotia, Hispania, & Hungaria, Cæsareum Jus edoceretur solemniter edixit, ut

Matth.

Matth. Parisiensis non semel memoriæ prodidit; & in aureo libro de usu, & Authoritate Juriscivilis, loco præallegato, refert eruditissimus Duck.

Studia *Pisis* exculta, superiora probant, ea plane ratione, qua nunc, nedum in præstantissimis quibuscumque Urbibus, sed & in cultiori quovis Oppido *privatim* Jura, Philosophicæ disciplinæ, Poesis, ac fere quælibet aliæ liberales Artes excoluntur, & in peculiarem nonnullorum utilitatem edocentur; non inde tamen, *decurrenti Tertio Decimo Sæculo*, aut etiam ante, *Pisis* adapertum *Universale illud Gymnasium*, de quo agimus, ea, qua par est, evidentia demonstrant.

Neque, ad hoc ipsum evincendum, plurimi faciendæ sunt conjecturæ, quæ a *Dominico Maria Brancaccinio*, Scriptore alioquin accurato eorum omnium, quæ ad Jus Doctoratus pertinent, afferuntur. (*a*)

Ac primo futilis conjectura est ea, quam, ex dono Pandectarum Pisanis facto, elicit; præsupposito enim etiam alias controverso hoc Dono, Leges tanti momenti, quanti Justinianeæ

(*a*) Lib. 1. de Jure Doctorat. Cap. 6. num. 6.

ſunt, non potiſſimum ad Scholaſticum, & Umbratilem uſum; quin potius ad Forenſem neceſſitatem, pro bono, vel meliori Reipublicæ Regimine, donandæ videbantur.

Minimi etiam certe ad id ipſum probandum valet animadverſio; immo ocularis inſpectio ſpecioſi cujuſdam Tumuli in Piſano Cæmeterio, quod vulgo *Campum Sanctum* appellant, ubi non tam a prælaudato Scriptore; quam a bonæ memoriæ viro *Joſepho Martinio* Primat. Eccl. Canonico [a] Diaglypticum Marmoreum Signum *Joannis Faſeoli*, illius Faſeoli Piſani J.C. qui teſte Pancirolo, præter Libellum de Summariis Cognitionibus, non pauca in Jus Civile, & Uſus Feudorum conſcripſit (b), ſpectari aſſeritur ſuper Cathedra conſtituti, diſcipulis hic illhic adſtantibus in actu audiendi, auditaque exſcribendi; immo juxta tradita ab eodem Brancaccinio, cum fragmento ſequentis honorificæ Inſcriptionis, quam ex parte mutilam ab eo exhibitam, & modo fere vetuſtate conſumptam, poſt tertium verſiculum, ita ſupplent alii. [c]

Le-

[a] Theat. Baſil. Piſ. cap. 18. p. 117.
[b] De Clar. LL. Interpr. lib. 2. c. 33.
[c] Id. lib. 1. cap. 6. n. 6.

Legum Doctoris Faseoli Tumba, Joannis
Doctorum floris dedit hunc Natale Joannis
Annis millenis sex octaginta ducentis
Christi vita senis defecit tam Sapientis
Vixit Fons Roris decies sex & tribus annis
Mensibus ... liberet a pœnis quem Christus
. . . . . .

Nam, præterquam quod prælaudatus *iste Vir* potuit, *ante Publicam Pisanæ Academiæ Institutionem*, in Civium suorum commodum, Leges exposuisse: quod assertioni nostræ non adversatur, mihi insuper sedulo ibidem omnia rimanti, & ad hoc præcise sepulchrum observandum, testibus consulto adhibitis spectatissimæ fidei Equitibus *Mario Mosca Pisano*, & *Francisco Galeffio Piscienti*, utpote Rerum antiquarum studiosissimis, prædicta quidem Inscriptio patuit subter marmoream Urnam, quæ a Boreali latere, prima fenestra substat, nullibi tamen operimentum, de quo *Martinius*, forsan ob grandiorem urnam aliunde translatam, & ibi superimpositam: multoque minus ibidem videre

data fuit effigies *Faseoli Cathedra superſedentis*; prout re vera, in hoc aſpectu videre datur in Sacello quod vocant, *Omnium Sanctorum* alia effigies *M. Ligi de Ammannatis*, qui tamen ad XIV. ſubſequens Sæculum pertinet, ut ex inſculpta ibidem Inſcriptione innoteſcit, & alibi opportunius adnotabitur.

Illud inſuper, circa prælaudatum *Faſeolum*, obſervare datur quod gratis aſſeritur, *Sæculi XIII. decurſu*, Piſis edocuiſſe, cum ex præallegata Inſeriptione nec evidenter eruatur, neque ex deficientibus in Archiepiſcopali Curia opportunis tum Nativitatis tum mortis ejus Sæculi monumentis ſupplere licuerit, an prædictus An. 1286. initium, aut finis vivendi *Faſeolo* extiterit; & quamvis prima opinio magis Brancaccinio probari videatur ibi: *Eo Anno ævum inchoaſſe vitale* (*a*), mihi certe, quoad prælaudatum *Faſeolum*, de quo nobis modo ſermo eſt, aliunde lumen mutuanti, utraque opinio penitus improbatur. Conſtat enim ex Ciaconio, Panciroło, Ughellio (*b*), *prædicto Jo: Faſeolo*

(*a*) D. lib. cap. & num.

(*b*) Scrib. ap. Ciacc. Tom. 2. An. 1261. n. 2. Ughel. inter Epiſ. Oſt. Tom. 1. n. 46

lò defuncto, in Ebrodunensi Archiepiscopatu, successisse *Henricum Bartholomæum Segusianum*, vulgo *Hostiensem* appellatum, ex promotione ad ipsam Archiepiscopalem Sedem de eo factam ab Innoc. IV. & sic post An. 1243. & deinde Cardinalem, sub prædicto *Ostiensis* Titulo, creatum ab Urbano IV. An. 1263. postquam, hortatu *Alexandri* similiter IV. in Decretales Epistolas scripserat (*a*) atque idcirco *Faseolum Archiepiscopum* (immo & *Ostiensem*) multo ante An. 1286. in prædicta Tumulari Inscriptione expressum, vitæ suæ diem ultimum explevisse. Aut itaque adversus Brancaccinj opinionem, dicendum annum 1286. prælaudati *Faseoli*, nedum natalem, sed nec emortualem esse posse, aut potius, cum *Faseolo Archiepiscopo* prædicta non aptentur, asserendum, in prædicta Epigraphe, ubi etiam ea Archiepiscopalis dignitas, nullatenus reticenda, omnino reticetur, non de asserto *Faseolo* pertractari, sed vel de alio *Johanne Fagelo*, alibi *Fazelo* Legum utique Doctore; at ex allegatis, & mo-

E 4 do

(*a*) Guid. Pancir. lib. 2. cap. 33. & lib. 3. cap. 13. Raph. Volaterr. lib. 21. Anthrop.

do allegandis rationibus, non Archiepiscopo, non Publico Universitatis Professore agi: quem postremum J. C. constat obiisse diversa Patriæ Pisanæ Urbis munia; & præcipue gessisse operosum Syndici munus An. 1272. cum inter Regem Siciliæ Carolum, & Commune Pisanum Pax jurata fuit; id quod etiam coævus Scriptor Guido Corvaria, penes Clarifs. Rerum Italicarum Editores, adnotat (*a*), quem utique Leges in Patria Urbe, at *non in Publico Gymnasio*, profitentem, nil implicat vivendi finem fecisse tempore in Epigraphe luculentius designato, hoc est:

Annis millenis Sex octuaginta Ducentis.

Aut de alio demum *Jo: Fazelo*, alibi *Fazolo*, ibi Sermonem haberi asserendum, inter advocatos Pisanæ Communitatis, Consiliarios Minoris Consilii, ut ipsi vocant, Examinatoresque Notariorum, corrigendisque ejusdem Artis Notariæ Statutis Præposito,

(*a*) In Fragment. Histor. Pis. Tom. 24.

fito, decimo quarto Seculo elabente (*a*) quem, prædicto etiam An. 1286. vitale ævum inchoare potuisse, non est absurdum.

Ad verum itaque propius accedunt, qui circa initium *Quartidecimi Sæculi* Pisanam Academiam publice institutam autumant, Paulus Merula, qui An. 1306. [*b*] Leander Albertus, ac Thomas Demsterus, qui An. 1309. [*c*] Ferdinandus Abbas Ughellius, qui loquens de Sepulchro Henrici VII. olim Comitis Lucemburgensis, An. 1315. a Pisanis erecto, quod ea, qua hæc scribimus ætate, pristino loco motum, supra januam Spoliarii Capitularis, in Principe Ecclesia, suspicitur, ita scriptum Posteritati reliquit [*d*] *Illi Sepulchrum, pro temporum illorum more, arte, & magnificentia magna constructum excitaverunt Pisani, ad acceptorum ab eo beneficiorum memoriam* E 5 *con-*

(*a*) Archiv. Pis. Com. vol. 5. 23. vol. 6. Quat. 3. p. 1. vol. 20. q. 2. p. 431. vol. 35. q. 1.

(*b*) Cosmogr. p. 2. lib. 4.

(*c*) Descript. Ital. de Etr. Litor. Demst. Etrur. Regal. lib. 5 cap. 1.

(*d*) Ital. Sacr. Tom. 3. de Pis. Archiep.

conservandam; in quo numero collocabant celeberrimam illam Academiam, quæ postea omnium Artium gloriæ, virorumque doctissimorum commendatione ad majestatem effloruit; & huic, alioquin plausibili sententiæ, veluti calculum adiicientes, Henricus a Pflaumeren (*a*) idem Dominicus Brancaccinius (*b*) Franciscus Orlendius (*c*) D. Josephus Martinius (*d*), qui, dum a prædicto Imperatore Henrico Pisis degente, Imperiali diplomate donatam Academiam sibi certo suadent, aliquanto etiam anteriorem ipsius Academiæ Institutionem vident præsupponere.

Verumenimvero, nec extat Imperiale hoc diploma inter innumera fere, quæ late colligunt Eruditissimus Lunig, atque Ludevvigius (*e*); neque pariter in copiosa satis, at nescio an æque certa, Epistolarum supellectile,

(*a*) In Mercur. Ital. in verb. Pisæ p. 558.

(*b*) D. lib. 1. de Jur. Doct. cap. 6. n. 7.

(*c*) Orb. Sac. & Proph. p. 2. lib. 3. cap. 29. n. 7.

(*d*) In Paral. ad Th. Bas. Pis. pag. 116.

(*e*) Cod. Diplom. & Reliq. Vet. monum.

le, quæ ex Ildebrando Pisano Canonico, uno ex ipsius a secretis, in Archivium Capitulare ejusdem Pisanæ Urbis translata, asservataq. ibidem asseritur (a). Et quod potissimum forsan est de diplomate hoc nullam habent mentionem, qui vitam ejusdem Imperatoris exararunt, gestaque etiam minuscula conscripserunt, Albertinus Mussatus, Conradus Vecerius (b); Quin potius, apud eosdem Eruditissimos Palatinos Socios, (c) testatur Nicolaus Episcopus Botrontinensis, ipsius Henrici intimus ac familiaris, quamplura Pisanis Privilegia ademisse, etsi infinitam pene auri copiam ab eis exegisset: tantum abest Imperiali diplomate nascentem Academiam decorasse.

Si ab aliquo docendi genere, sique a Particularibus ad Universalia recta procederet illatio, non omnino perperam quis circa An. 1320. institutam referatamque Universitatem existimaret; præter enim assertum Clariss. Pancirolum, qui non semel prædicto

(a) Mſ. Can. de Abram.
(b) Tom. X. Script. Rer. Ital.
(c) Tom. 9. pag. 930.

Anno Institutam tradit (*a*) ibique *Andream Ciaffi filium*, penes alios, Cognomento *Zaffum* docuisse, cujus Auctoris extat adhuc de Gerundiis Opusculum, & cujus Commentaria se Bartolus evoluisse testatur (*b*). Ex publicis quoque Archivii Pisani monimentis apparet *Franciscum* quemdam *de Urbe Veteri Abbatem Sancti Quirici de Collinis* paulo ante, nempe Anno 1319. peculiarem quamdam provinciam obiisse, videlicet Decretales exposuisse, ut præcipue constat ex sequenti Provisione prædicti Anni 8. Id. Mart. (*c*): *Venerabili viro D. Francischo* (alibi de Urbe Veteri) *Abbati S. Guirici de Collinis libras Quinquaginta denariorum Pisanorum minutorum sine Gabella, quas habere debet a Communi Pisano pro tertia paga primi Anni pro lectura, quam facit in Decretalibus audire volentibus, & pro Patrocinio præstito & præstando ab eo Communi Pisano in suis Causis ad rationem librarum 150. denariorum Pisano-*

(*a*) Lib. 4. cap. 1. & lib. 2. cap. 53.
(*b*) Marc. Mant. Epit. Vir. illus n. 14. Bart. in L. 8. §. 6. n. 9. ff. de Novi Op. nunc.
(*c*) Vol. 9. Quat. 1. & 2. p. 29.

sanorum in anno, *secundum formam Consilii Senatus & Credentiæ*, *& aliorum Ordinum Pisanorum inde datorum hoc An. 16. Cal. Jul* &c. Nihil hic de Nicolao Matarello Mutinensi subdo, quoniam ad incertum plane annum pertinet, at si intermedio tempore, inter Annum 1314. quo, teste Cyno, Paduæ legebat, & 1339. quo vivere desiisse coniicit Papadopol. jam Bononiæ, & Pisis Leges explicuerat, ut Mant. Pancir, & idem Papad. lib. 3. Hist. Gymn. Pat. sect. 1. cap. 2. testatur, patet, quod & is ad hæc eadem tempora pertinet. Verum, cum non unius, aut alterius docentis Conductione Publica Universitas constituatur: quod alio certe spectans, quam ad statuendam Universitatis nostræ Fundationem, de qua nullus ei sermo, sapienter animadvertit, numquam interituræ memoriæ vir, Præpositus Ludovicus Muratorius (*a*) idcirco superiorem opinionem nequaquam amplectimur.

Ut numero, ita Monumentorum certitudine, reliquis præstant, qui *decimoquarto sæculo jam adulto*, & præ-

(*a*) Tom. 1. p. 2. in Not. ad Fragm. Loth. & LL. Longobard.

præcise Anno, Æræ Pisanæ, *millesimo Trecentesimo Trigesimo nono* publice, & in formam *Universitatis*; Institutam *Pisis* Academiam nostram, dotatam, reseratamque memoriæ mandarunt, ut evidentiuf infra demonstrabitur; inter quos ejusdem sæculi Scriptor Anonymus, apud ipsum Clariss. Muratorium, jampridem in Laurentiana Medicea Bibliotheca latens, qui, inter cætera, hæc ad rem præsentem; narrat (*a*) *nel mille trecento trentanove venne lo studio a Pisa, e fue da molti Cittadini lodato, ma non per la Chiesa di Roma*, *&c.* Raphael quoque Volaterranus (*b*) & huic inhærens Guido Pancirolus, (*c*) sibi certe contrarius, nisi locis superius allegatis de *Privata*, hic vero de *Publica Institutione* loqueretur, & *probante Pontifice*, ut ipse cum eodem Volaterrano ait, quamvis in hac postrema circumstantia Pontificiæ Approbationis, ex modo dictis dicendisque facile deceptus. Jacobus pariter Middendorpius An-

(*a*) Tom. 15. Rer. Ital. Script.

(*b*) Com. Urb. lib. 5. Geogr. de Rebus Pis.

(*c*) Lib. 2. de Clar. L. L. Interpt. ap. 67. ubi de Bartolo.

(*a*), Andreas Mendo (*b*), Jacobus Arrostius in ms., relato etiam apud nobilem virum Camillum Borghium (*c*), Paulus Troncius in monum: Historic: sub An. 1338. (*d*) Qui tamen Troncius in eo non videtur fideliter omnino Publicis Archivii Pisani monimentis detulisse, quod Theatrum scholarum tunc temporis ædificatum, memoriæ prodiderit; ait enim, loquens de Domino Bonifacio Juniori Comite Domnoratici, ex Illustri Gherardesca Familia, qui An. 1339. Pisanæ Reipublicæ clavo præerat tamquam Generalis Capitaneus utriusque militiæ, vel, ut ajunt ipsi, utriusque Masnadæ: *Fece il Conte Fazio ampliare la Piazza degli Anziani, acciò la Nobiltà vi potesse più commodamente passeggiare, e per rendere più riguardevole la Città, col parere di tutti gli Anziani, e di tutto il Senato, stabilì di fondarvi un'Università per condurre Dottori Principali a leggervi; e ridotto a buon'*

(*a*) Lib. 1. de Acad. Orb. Christiani p. 223.

(*b*) De Jur. Acad. lib. 1. quæst. 2. n. 26.

(*c*) In Oplomach. Pis. quæsit. 29.

(*d*) Mem. Ist. c. 343.

buon termine il Teatro delle Scuole, mandò Ambasciatori, a nome della Repubblica, a Papa Benedetto, supplicandolo di autorizzare colla sua Grazia, che per mantenimento de' Lettori si potesse imponere una decima da pagarsi dagli Ecclesiastici, alla qual domanda sua Santità non acconsentì, & i Pisani, che erano risoluti, tirorno avanti il lor pensieri, e chiamorno Soggetti Insigni a leggere, &c. In Authentica siquidem Provisione, quam mihi facile primo reperire, aut certe adnotare contigit, in Archivo Pisanæ Communitatis, solutam utique adinvenio certam pecuniæ quantitatem Fabrorum Cæmentariorum Magistro in prædictum ampliandæ Plateæ usum, ne verbum tamen unum de *Theatro Scholarum*, quod & recentius, & alibi referatum certo scio ibi: *Andreæ Capo Grosso Capo magistro super amplianda Platea Pisani Populi libras centum decem denariorum Pisanorum Minutorum sine gabella expendendas & erogandas per eum magistris manovalibus & aliis necessariis dicti Operis* (a). Immo aliunde, ex prædictis tamen Antiquarum Rationum Libris, a me ipso

(a) Vol. 17. p. 28. An. 1338.

ipso sedula timatione perlustratis, apparet in domo quadam conducta a Reverendis Patribus Sanctæ Catharinæ Ordinis PrædicatorumAn.1340.posita in Parochia Sancti Simeonis, quam etiam nunc, ad *Parlascium* vocant, & quæ parum a Lucensi Porta distat,adapertas, utcumque, Medicinæ scholas ibi (*a*) : *Libras quinque denariorum Pisanorum sine gabella pro pensione unius alterius domus dictorum Fratrum sitæ in Capella S. Simonis ad Parlascium, in qua tenentur Scholæ scientiæ Medicinæ, & quam ipsum Commune conducit a dictis Fratribus, videlicet pro sex mensibus ultimi anni proxime præteriti*.

Quoad Scholas Juris Consultorum &c., nihil aliud certi datum fuit hac tenus reperire, & probabile admodum est, vel singulos in domo propriæ habitationis docuisse, *Bartolum*, ex gr., de quo inferius, in ea conducta a *Familiatis*, (*b*) (quos *de Famiglittis* vernacula lingua appellat Author Fragmenti Pisani apud eruditissimum Muratorium;) (*c*) vel, quod etiam probabilius est, ipsis ad usum concessam Schola-

(*a*) Vol. 20. ab An. 1340. p. 232.
(*b*) Borgh. ubi supra 144.
(*c*) Tom. 24. laud. Collect.

ſcholarum finitimam aliquam ſuperioribus ædem, e dominio ipſius Piſanæ Communitatis, pro qua idcirco ab eadem Communitate ſolvenda penſio non eſſet, neque propterea, pro ipſius Penſionis erogatione, neceſſarium foret ullum ad ſolvendum mandatum. Tanto magis quod prope prædictam Inſulam, in alia domo pariter a prædictis Religioſis conducta, in comperto nobis eſt, iiſdem temporibus, inhabitaſſe quemdam alium, ex primis Univerſitatis noſtræ Profeſſoribus, nempe *Raynerium Arſendum de Foro Livii*, de quo ſimiliter opportunius alibi; & pro ſolutione mercedis prædictæ domus, in qua inhabitabat, infraſcriptam Proviſionem emanaſſe (*a*): *Fratribus Prædicatoribus Conventus Sanctæ Catholinæ de Piſis, vel eorum Sindico legitimo pro eis recipienti infraſcriptas Pecuniæ qantitates eis a Communi Piſano debitas, videlicet libras duodecim denariorum Piſanorum ſine gabella pro penſione domus, ſive domorum dictorum Fratrum poſitarum in Campo divi Laurentii de Rivolta prope Eccleſiam dictcrum Fratrum, quam Commune Piſanum conducit a dictis Fra-*

(*a*) Arch. Piſ. Com. d. L. 20. p. 232.

Fratribus, & in qua moratur, & moratus est D. Raynerius de Forlivo Legum Doctor.

Eoque libentius in antedictam opinionem concedo; nempe conterminam aliquam ædem, aut saltem non multo distantem ab eo loco, ubi certum est Medicinæ Scholas adapertas, docendo Juri, cæterisque disciplinis destinatam fuisse quod in Parochia S. Laurentii de Rivolta, quæ solum a posterioribus Pauli V. temporibus, ad Reverendas Moniales hujus Tituli spectat, antea vero ad Reverendos PP. Camaldulenses pertinuit (*a*) etiam *Rectori Citramontano*, cujus Nomen, Familia, ac Patria adhuc ignoratur, Ære Publico, domus assignata pateat ex Publica Provisione pariter hujus tenoris (*b*) *Puccio Benetti de Capella S. Petri ad Ischiam* (vulgo Ecclesiam hanc, nostra hac tempestate, Templum S. Apolloniæ nuncupamus) *Florenos quindecim de auro sine gabella, vel eorum valentiam, ut supra, ei solvi restantes de Pensione & pro Pensione unius suæ domus cum Clau-*

(*a*) Matth. Fanucc. Mem. Histor. Abbat. Camaldul.

(*b*) D. lib. 20. p. 17.

Claustro & viridario positæ in Capella S. Laurentii de Rivolta conductæ a Communi Pisano pro Rectore Citramontano Studii Pisani inhabitando, videlicet pro ultimis sex mensibus anni dictæ Conductionis finiti, sive finiendi de præsenti mense Martii ad rationem Florenorum triginta in anno.

Instituta jam Universitate, reliquum plane esset, ut ex ordine, prosequeremur, quibus eam Proventibus dotarint, quibusque Privilegiis, vel suis ab initio decoratam voluerint Pisani Proceres, vel alienis decorandam postea curarint; at de his opportunius alibi.

L E T-